



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,  
Et Charitate

**Castro Palao, Fernando de**

**Lugduni, 1669**

2 Qua ratione volu[n]tas cu[m] non sit permanere dicatur?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)

## PUNCTUM II.

Qua ratione voluntas, cum non sit, permanere dicitur.

- ¶ Quid est permanere voluntas in virtute.  
2. An permaneat voluntas ex eo, quod retractata non sit.

**D**upliciter permanere voluntas potest, cum non sit. Primo, si permaneat in virtute, id est, in aliquo effectu ab ipsa voluntate priori producto, ex quo tanquam ex effectu ad aliud agendum excitatur. Exemplis explicio. Vis celebrare, sacrificium petis. Ornamenta induis, factum incipis: adueniente tempore consecrationis omnino es distractus, consecrasti. Quia prior illa voluntas consecrandi virtute, & potestate perseveravit, quia perseveravit in aliquo effectu ad te producto. Idem est cum officium diuinum vis perfoluere, & ex hac intentione librum accipis, etiam si postea cum recitas, animo diuageris, officio fastidias. Hac ratione voluntarius quis Romam pergit, etiam si dum comedit, & dormit, & iter facit Romae non recorderetur, quia à principio voluntatem eundi Romam habuit, & ex illa voluntate iter incipit, ex qua inceptioe reliqua fuerunt subsequuta: & in hoc ferè omnes conueniunt, Gabr. 2. d. 41. quest. 1. art. 3. dub. 2. Altiiodor. in sum. lib. 2. tract. 29. cap. 3. quest. 3. Bonavent. 2. sentent. d. 4. art. 1. quest. 3. ad ultimum argumentum.

2. Secundo dici potest permanere voluntas, ex eo practisè, quod non fuerit retractata, si voluntas absoluta sit. Vt si absolute velis omnia opera in Deum referre, talis voluntas censetur permanere, quovisque per contrarium actum eam retractes. Verum si absoluta non sit voluntas, sed pro aliquo determinato tempore, aut determinatis personis, censetur voluntas permanere, quovisque tempus finiat, & executioni res mandetur, ut si ex affectu charitatis in Deum promiseris omnibus pauperibus tibi occurrentibus in aliqua peregrinatione elemosynam largiri, & oblitus talis voluntatis pauperi indigno ex affectu subleuandi eius miseriam tribuas elemosynam: talis actus non solum in specie peccatis, sed etiam charitatis ceteri debet constitutus, ita Altiiodor. in sum. lib. 2. tract. 29. cap. 3. quest. 3.

Hic secundus modus permanentiæ mihi non probatur absolute: alias si idololatra omnia sua opera in idolum referret, cecidisset esset semper peccare, etiam cum opera aliis bona, & honesta, vel indifferentia efficeret. Quapropter distinctione opus est in hac materia: sunt enim aliqua opera, quæ solum in recipiente requirunt interpretativum consensum, & respecta horum voluntas permanere dicitur, etiam si actu non sit, neque in aliquo effectu producto: qua ratione qui voluntatem habuit baptizari, confirmari, vngi, & repente priuatus est sensu, potest baptizari, absolui, & vngi, iuxta c. agrotantes, & c. parvuli, de consecrat. distinct. 4. & cap. maiores, §. vlt. de baptismo. At alia opera, quæ non tam in receptione, quam in actione consistunt, non sufficit habuisse voluntatem, & non retractasse, vt censetur semper perseverare, sed necessariò debet esse aliquis effectus mediæ, vel immediatè ex tali voluntate dimanans, ratione cuius censetur voluntas durare, & opera subsequenda denominare, ita Azor. lib. 1. instit. cap. 3. quest. 2. §. tertio diuiditur, & cap. 6. circa finem, & cap. 7. post medium, & cap. 8. per totum.

## PUNCTUM III.

An effectus, vel omisso orta ex aliqua actione voluntaria imputetur ad culpam, quando actu vitari non potest.

1. Proponitur status questionis.
2. Pœnis iuris contrahit, qui causam voluntariam dedit homicidio. Vbi apponuntur limitationes.
3. Euentus contingens, quando vitari non potest, non addit malitiam cause prius oppositæ.
4. Retractata voluntate, non censetur voluntarius.
5. Euentus ortus ex causa voluntaria, qui impediri non potest, non esse peccatum, qui dicantur.
6. Probabilis est esse peccatum.
7. Hos effectus, vel omissiones confrendas esse.
8. Respondetur argum. n. 5. adductis.

**P**ercessisti Petrum. Moritur, cum iam mori impedire non potes, mortis Petri tibi culpæ imputanda est? Noluisti scire, cum posses, obligationem tui officij: adueniente tempore obligationis aliò diuageris, immemor protus obligationis, omissione illa est tibi imputanda? Item inebriaris sciens in ebrietate pollui, blasphemare, maledicere, occidere. Suntne omnes illæ actiones verè tibi culpabiles.

2. In hac questione, vt certa ab incertis separemus, conueniunt omnes Doctores talem effectum, quoad pœnas iuris tibi imputari, & quoad obligationem reparandi damna inde prouenientia. Vnde si homicidio, pollutioni, aut alteri crimini sit pœna excommunicationis, suspensionis, aut irregularitatis annexa, & in effectu sequuta ex actione voluntaria, suspensionem, excommunicationem, aut irregularitatem contrahis. Quia illa pœna non tam propter effectum voluntatis, quam propter effectum ex praua voluntate ortum imponitur, sic Azor. tom. 1. lib. 2. cap. 7. vers. quod si obijcias. Valq. disp. 94. cap. 4. in fine. Thom. Sanch. lib. 1. in Decal. cap. 16. fine. Villalobos tom. 1. summ. tractat. 3. difficult. 6. n. 5. Salas 1. 2. tract. 7. disp. 6. sect. 8. & alij.

Ab hac regula generali excipiunt aliqui pœnam excommunicationis (& idem est de suspensione, & interdicto quatenus censuræ sunt) casu quo dolcas, & pœnitens causæ datus, quia tunc contramam non es, neque inobediens Ecclesiæ mandatis. Non igitur debes excommunicari, excommunicationem enim solum ob contumaciam, & inobedientiam imponitur.

Et confirmo. Existens in excommunicatione, si pœnitens, statim deberes absolui: quia excommunicatio solum imponitur ad reprimendam contumaciam, qua cessante, tollenda est: si ergo antequam contrahatur, iam non es contumax, vt quid ergo medicinalis pœna tibi est applicanda, cum medicina non indigeas? Et hæc limitatio saltem pro foro interiori mihi satis probabilis apparet, quàmque tenet Ioan. Andr. & alij, quos referet, & sequitur glossa in c. cum quis, de sententia excommunicationis, in 6. Innocent. in cap. mulieres, de sententia excommunicationis. Tabiena excommunicat. 5. casu 1.

Secundò limitanda est doctrina ad aliqua peccata, quæ necessario actualem libertatem requirunt: quales sunt hæresis, contumeliaz, iuramenta, & similia: hæc enim facta in ebrietate, neque hæresis, neque contumelia, neque iuramenta formaliter sunt, ac proinde sic proferentes ligari non possunt pœnis illis annexis & ita docet Ioan. Sanch. disp. 20. num. 5. Valquez 1. 2. disp. 127. cap. 3. n. 11. Thom. Sanch. lib. 1. in Decalog. cap. 16. fine. Suarez tom. 2. de religione lib. 3. de iuram. cap. 8. num. 6. Verum est hæresis, aut iuramenti falli, vel blasphemiaz propriè rationem non habeant: habent tamen cuiusdam moralis irrisionis, & irreuerentiæ Deo factæ, ratione cuius voluntas illas cauandæ, est mala, & peccaminosa: vt idemmet Ioan. Sanch. notat num. 2. & Thom. Sanch. in Decal. cap. 16. num. 44. cum Toletò in sum. post 7. lib. tract. de sept. peccat. mort. cap. 61. n. 5. Solum excipi possunt contumeliaz homini dictæ in ebrietate, quæ si nullum secretum peccatum, aut defectum detegant, potius vt faciat, quàm vt contumeliaz reputantur, etiam ab his, aduersus quos dicuntur, vt bene Thom. Sanch. in Decal. supra num. 44. aduertit.

3. Secundò conueniunt Doctores (paucis exceptis) euentum contingentem ex tempore, quo vitari non potest, nullam addere grauitatem, vel malitiam causæ prius oppositæ. Nam cum nullam addat denudè libertatem, quo fundamentum bonitatis, & malitiæ est, nullam potest addere malitiam, ita D. Thom. 4. disp. 27. quest. 2. art. 2. quest. 4. ad 2. Zúnel quest. 71. art. 5. disp. 6. Salas alius relatis 1. 2. tract. 13. disp. 2. sect. 9. n. 114. Suarez 2. tom. de relig. lib. 3. de iuram. cap. 7. num. 7. Valquez 1. 2. disp. 94. cap. 3. num. 9. Thom. Sanchez lib. 9. de matr. disp. 45. loquens de pollutione in somnis num. 28. & lib. 1. in Decal. cap. 16. n. 45. idemque fatetur tenentur, qui dicunt hos euentus non esse peccata, etiam determinatiuè à causa, sed esse effectus peccati, quos statim referemus.

4. Tertio certum esse debet retractata per penitentiam priori voluntate, effectum sequitur naturaliter ex causa prius libere apposita, non esse imputandum culpæ, sic Thom. Sanch. pluribus relatis lib. 9. disp. 45. supra num. 29. Azor lib. 1. instit. cap. 7. quest. vnica, §. in hac re Salas supra num. 116. Villalobos tract. 3. diff. 6. num. 4. conclus. 3. Ratio est, quia tunc causa apposita voluntaria non est, cum iam sit reuocata. Ergo licet effectus oriatur ex causa apposita, non oriatur ex illa tanquam ex causa voluntaria, ac proinde voluntarius non est. Exemplo rem declaro. Dediti mandatum alicui, vt nomine tuo matrimonio contraheret, pœnitet mandati, illudque reuocat, ac intimare non potes mandatario reuocationem: sed potius ille virtute prioris mandati contractum celebrat, ille contractus est à causa voluntaria ortum habuerit, tibi voluntarius non est. Ergo optime potest causa in ratione voluntarij reuocari etiam si effectus eodem modo naturaliter sequatur, ac si reuocata non esset.

5. Difficilis ergo est, an euentus ortus ex causa voluntaria, quando reuocata non est, neque impediri potest, censendus sit peccatum, eo modo, quo censetur actus exterior cum interiori idem peccatum constitutere?

Negat Valquez 1. 2. disp. 94. c. 3. alijs relatis. & disp. 73. c. 9. num. 46. & 47. Conart. Clem. si furiosus. 3. p. initio, num. 4. Sayrus lib. 2. c. 6. n. 15. Azor lib. 1. c. 7. q. vnica post medium, & lib. 4. cap. 3. quest. 4.

Fundamentum huius sententiæ est, quia non potest dici aliquis